



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Agricultura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

induta palla sedet, manum ad ensis inversi capulum extendens, ita ut apex ipsius capuli volam impleat litera circumscripta, JUSTITIA. Ab altera facie, eadem mulieris effigies pene nuda, amictu quidem toto inexporrectam retro dextram appenso, lava supra Leonis caput postremis pedibus residentis injecta: litera adsculpta sunt LEONIS HUMILITAS.

NATORUM ERGA PARENTES OBSEQUIUM.

CAP. XXXI.

Leones autem domitos & magna Dea curru succedentes, Lucretius aliter interpretatur, qui vellet figmentum id significare, liberos quantumlibet feroces, obsequentes esse debere parentibus: ait enim:

*Adjungere feras, quo quamvis effera proles,
Officiis debet molliri victa parentum.*

a At Macrobius Statu lib. 1. c. 21. Cybelem terram ait Et Leonem Solem.

Varro tamen in Cybeleio curru duo considerasse videtur, Leonem utique terrae symbolum, uti paulo ante dicebamus: mox quia genus id animalium in longinquis, & a nobis remotissimis regionibus invenitur, nullam ait esse terrae partem tam remotam, quam coli subigique non oporteat: ita omnes, quae vel hieroglyphica sunt, vel quoquo modo mystica, in suam quisque artem vel disciplinam, quam profiterentur, trahunt. Diodorus autem, uti suus est mos, historias sibi confingit ex commodo suo, Leonesque ideo Cybeles curru trahere confictum ait, quod ab his ea educata fuerit. Utrum vero curru vehatur Dea, an sella sedeat, quantum ad significatum pertinet, parvi refert: nam in Faustinae numo Cybelem Turritam Leonina sella insidentem videas, quae orbem intra manum & genu tenet: inscriptio est, MATRI MAGNAE.

Faustina numus.

AGRICULTURA.



MIXTA QUID. CAP. XXXII.

Quod vero pluribus in antiquorum monumentis, praecipue sepulchralibus cernere est, Leones aliquod animal apprehendisse, quippe vel Ovem, vel Taurum, vel Anguem, vel hujusmodi quidpiam, ex eo conjicere potes, sepulti animum aut naturam talem fuisse, cujusmodi est illud, quod apprehensum fuerit: quippe si Ovem, vel Agnum, ut in sepulchro quodam Romae sub Aesculapii pronao habetur, intelligas hominem ferocitate demolita, mansuetudinem amplexatum: si Taurum, temperantiam: si Anguem, prudentiam, vel quid hujusmodi: prout animalis, quod detentum fuerit, significatum exiget, interpretaberis. Si vero hostiliter captum vel discerptum, ejus naturae hostem male habitum. Nam in numo quodam argenteo Augusti Caesaris validissimae formae Leonem videas qui servum superat dentibus in armos affixis: quod forte referri potest ad Actiacam victoriam, quam is Apollinis favore consecutus est, in qua, ut apud Maronem: *Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabae.* pavorem enim ex Cervo loco suo significari diximus.

Aug. Cas. numus.

b Aeneid. lib 9.

FEROCITATE POSITA

ASSUMPTA MANSUETUDO.



AMO.